

6:0 dual. 10. 6:0  
BELOHIM  
DISPUTATIO POLITICA

De

5  
PUBLICA JUVENTUTIS  
INSTITUTIONE,

QUAM

Censente Amplissima Facultate Phil. in florentissima  
Regia Academia Aboensi,

PRÆSIDE

RECTORE p. t. MAGNIFICO

DN. M. MARTINO MILTOPOÆO,  
Eloq. Prof. Publ. Præceptore & Promotore suo  
æstatem reverenter colendo,

Publico Doctorum examini, Magisterii Philosophici honores  
aditus, modestè submittit

S. R. MAJEST. ALUMNUS

ANDREAS LITHOMANNUS,  
Junecop. Smol.

Ad diem 28. Junij, Anni 1671. in auditorio maximo,  
boris solitis, ab 8. antemeridianis.

A B O Æ,

---

Impressa à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

Viro Reverendo atq; doctissimo Dr. Petri

ΠΡΟΦΑΣΙΣ,



Emodoco, consilium de institutione filii sui petenti, Socrates ( $\alpha$ ) hoc responsi dare introducitur: οὐ γέ ἐστι περὶ ὅτου θεοτέρης ἀνθρώπῳ βαλένσιντο, οὐ περὶ παιδείας ηγή ἀνταντῆς τῶν ἀντερέδικεων: quo puerorum informationem maximi esse momenti non obscurè innuit, idq; nec sine causa, quippe in Rep. eodem teste ( $\beta$ ) haud quicquam difficile futurum est, modo commoda institutio antecesserit, quoniam ejus tanta vis est, ut vel tacentibus legibus, bene institutus, honestis rebus ultrò sese dedat, quod ipsum Lycurgus, Lacedæmoniorum legislator, adductis in medium duobus catulis, uno ad cursum & venationem, altero ad quietem & voracitatem, assuetis, manifestum fecit ( $\gamma$ ) Hac autem deficiente ( $\delta$ ) leges, quamvis commodissimè latæ, eventu tamen minus felici ad honesta homines hortantur, siquidem pravæ de vero bono opiniones animos eorum tanquam vincitos constrictosq; tenent, neq; ad veritatis lucem attollere oculos permittunt. Rectè Seneca ( $\epsilon$ ) Ubi aliqua res obsecrat animum, & ad officiorum dissipendum ordinem impedit, nihil agit qui præcipit: sic vivas cum patre, sic cum uxore. Nihil enim proficiunt præcepta, quamdiu menti error obfusus est: si ille discutitur, apparebit quid cuiq; debetur officio: id quod Dionis filii exemplo ( $\zeta$ ) patet, qui per Dionysium turpissimis imbutus cupiditatibus, è superiori parte ædium se dejecit, atq; ita interiit. Notatu certè dignissima quoq; sunt verba Platonis ( $\eta$ ) ἔχει δὴ (οἶμεν) λόγον, τὴν αἰσιην φύσιν ἐν αἱτογεωτέρᾳ οὐσαν τερψῆ, κίνησιν αἰσθαλάττευν τὴς φάνης:

## DISSERTATIONIS

De

PUBLICA JUVENTUTIS EDUCATIONE  
THESIS

I. *Educatio est cura de pueris, adolescentibus & juvenibus recte instituendis, ut Reip. idonei cives evadant.* Cum omnis, ut monet Tullius ( $\alpha$ ) que à ratione suscipitur dé aliqua re institutio, debet à definitione proficiendi intelligatur, quid sit id, de quo disputetur: indè haud ineptè me discursus hujus initium facturum arbitror, prelixam tamen subiungere analysis minus necessarium ducens, siquidem propriā, nisi opinione labor, luce radiat: cui placet, Wendelerum ( $\beta$ ) aliosq; de hac materia posteros monumentis literarum etudentes, adeat.

$\alpha$ . l. 1. off.  $\beta$ . l. 2. *Phil. Pract. scit. 2. c. 6. de educ. Ec.*

II. *Publica institutio privatæ jure ac merito præfertur.* Educationem juventutis, decus illud Philosophorum ( $\alpha$ ) in *Privatam & Publicam* dividit. Illam autem, vel ad solos parentes, vel etiam privatos pædagogos pertinentem, huic præferendam esse, nonnulli, magnâ erroris caligine obcæcati, opinantur. Contrariam assertionem dictus Philosophus ( $\beta$ ) gravissimis hisce rationibus confirmat. *Primo.* à fine cujusq; & totius civitatis, hoc modo: Quorum idem est finis, eorum eadem debet esse disciplina: sed adolescentum ac totius civitatis idem est finis E. Adolescentum & totius civitatis eadem debet esse disciplina. Civitatis autem disciplinam publicè debere institui, quis negatum ibit? *Deinde,* à consideratione paris: Rerum in civitate communium, communis debet esse exercitatio: sed liberi seu adolescentes in Rep. usū sunt communes, E. liberorum & adolescentium disciplina publica & communis erit. *Præterea,* à partibus ad totum sic disputat: Cura partis debet respicere curam totius: sed pueri & adolescentes sunt partes Reip. E. qualis est hujus talis illorum debet esse institutio. *Postrema* hujus assertioris ratio in textu Philosophi, ab exemplo Lacedæmoniorum ducta, hanc formam habet: Quod præstantissimæ Reip. & Senatui Lacedæmoniorum placuit, id rectum esse videtur: sed Lacedæmoniis publica pue-

Namq;  
Neglectus urendus fuisse innascitur agri. (9)

Hinc tot homines vitia, ut labes purpura, combientes, passim reperiuntur. Alii magistratus autoritatem contemnunt, consilia parvi faciunt, imperium detrectant, iussa rident, mandata spernunt; Alios alii turpissimi flagitorum maculis aspersos invenire licet: Proinde, cujus rei neglectio magna civitati dispendia & damna infert ejus curam suscipere civitatis interest: sed institutionis adolescentum negligio magna dispendia & damna civitati infert: E. institutionis adolescentum curam suscipere civitatis interest. (i) Minor ex supra dictis constat. Ultra hoc à similitudine in aliis artibus Philosophus ( $\alpha$ ) probat. Illud ipsum Besoldus ( $\lambda$ ) argumento quoq; à simili ducto monet. Sicut enim, inquit, bonus agricola teneros palmites, ut celerius crescant, diligentè obtegit; ita Rempublicam, parentem & cultricem civium, ut juvenes ad virtutem instituantur, summâ ope niti decet. De hac amplissima materia impræsentiarum paucis differere constitui, Optimorum Authorum & crudelissimorum virorum authoritates & plæcita sequuturus. Sit itaq; bono cum Deo, & candidâ lectoris interpretatione.

( $\alpha$ ) apud Plat. in *Theage.* ( $\beta$ ) idem l. 4. de *Rep.* ( $\gamma$ ) Plutarchus de *instit. puerorum.* ( $\delta$ ) conf. Besold. *Dissertat. Pol. de educ. c. 2.* ( $\epsilon$ ) Ep. 94. sub initia. ( $\zeta$ ) ap. Corn. Nep. in *Dione* ( $\eta$ ) l. 6. de *Rep.* ( $\vartheta$ ) Horat. l. 1. Serm. Sist. 3. ( $\nu$ ) Arist. l. 2. *Pol. c. 1.* ( $\pi$ ) Idem d. l. ( $\lambda$ ) *Dissert. Pol. de educ. c. 2.* ex Laurentio Crimal. t. de *opimia Senatori.* &c.

rorum institutio placuit, E. Ex Quintiliano (γ) hæc ratio addi possit: justo mollior educatio plurimum obest juventuti: Privata educatio plerumq; est justo mollior, E. Privata educatio plerumq; obest juventuti. Minorem prop, forte quis à veritate longè aberrare dixerit. Quām vellem ita esset! Verū illud Plutarchi (δ) ἦδη δὲ τινας ἵψω εἴδον πατέρες, οἱστὸ λιαν φίλεν τῷ μὴ φίλεν αἰτιον κατέση: verissimum esse quām valdè vehementer timeo! lux veritatis experientia abundè testis est. Hic tamen multoties majus peccatum peccant matres, quæ filiis suis sollicitæ lacrimas abstergere, ut Seneca loquitur (ε) & in peccato adjutrices, auxilioq; in paterna injuria, teste Comico (ξ) esse solent. Nec priuati præceptores omnes hīc extra culpam sunt. Unde cum ex ephesis discipuli excesserint, (γ) studia, quibus erant antè consecrati, negligunt, contemnunt, spernunt, rident: chartulas lusorias in manus sumunt, in sphæristeriis reticula tractant, cum Pamphilo Glycerium visitant, & in vitia, nescio quæ, præcipites ruunt. Quapropter ex domestica educatione, ad publicam, magis prudentiam quām impotentiam amoris respicientem, reducendos esse pueros, pater. Porro: Quod multum ad modestiam confert, illud ut melius est approbandum: Institutio pub. multum ad modestiam confert, E. Institutio publica ut melior, est approbanda. Assumptio est manifesta, quippe privatim instituti, ut sèpius languecunt, & quandam velut in opaco situm contrahunt, (quod summoperè quoq; vitanendum) ita non raro inani persuasione adeò tumescunt, ut se solos lynceos, reliquos talpas opinentur. Necessè est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Nemini autem se comparat, qui præter suos domesticos inspicit neminem. (δ) Postremò: excellentior forma educationis ea est, ut Cæsarius docet (ι) quæ in sapientia & consensu totius civitatis fundata, firmiorem anchoram & constantiam habet, quām quæ ab unius iudicio pendet: sed pub. disciplina in sapientia & consensu totius civitatis fundata firmioram anchoram & constantiam habet, E. Assumptio constat, quia rarius institutio quæ senatum authorem & legem moderatricem habet, mutatur, quām quæ ad arbitrium unius vel alterius vertitur. Plures hujus assertionis rationes qui desiderat, præter alios, authores in hac thesi allegatos, si lubet, consulat.

(α) Arist

β. Arist. l. 10. Etib. c. 9, l. 7. Pol. c. 1. β. idem l.  
g. Pol. c. 1. conf. Cas. γ. l. 1. instit. c. 3. δ. de educ. lib. ε. l. 2.  
de ira, c. 21. ζ. Ter. in Heaut. a. §. sc. 2. η. Conf. Plutarchum de  
educ. lib. θ. Quintil. l. 1. instit. c. 3. Jun. q. 43. Pol. Arnif. l. 1.  
c. 18, de educ. Liebenthal exerc. 4. Pol. q. 8. Wendeler. l. 2. Phil.  
Præt. scit. 2. c. 6. de educ. ι. l. 8. Sph. civ. c. 1.

III. Hæc juventutis institutio Scholas & Academias requirit. Ut lucernam in meridie adhibere, ita hīc multas probandi rationes adferre, supervacaneum duco. Sine Scholis quippe & Academias educationem pub. non posse institui; nec aliudè, nisi ex hoc seminatio, prodeuntibus annis, ingenua existere ingenia juvenum, qui publicis privatisq; muneribus obeundis seculum ornare possint, nemo non videt. Tu quidem Machiavelle (α) clamitas: Tollantur Scholæ, tollantur Musæ, honesta institutio, disciplina ac sapientia tollantur, tollantur deniq; Athenæ, in quibus mores juventutis effeminantur, franguntur vires, futilis quæstiones moventur, nova de lana caprina phantasmatæ discutiuntur, magna excuduntur de Deo, de fide, de civitate levissimum opinionum monstra. Verū te, de industria in sole caligantem, nervosè censor tuus (β) acutissimus refellit, ex cuius rationibus unicam tantum, brevitati studens, apponam, quæ in hanc formam redigi possit: Quod summam barbariem, vim, perfidiam, licentiam vita, hæresin, atheismum, & confusionem omnium seruum parit, illud non est approbandum: sed destrucțio scholarum & Academiarum, summam barbariem, &c. parit: E. destrucțio Scholarum & Academiarum non est approbanda. Minorem Proprianiannalium monumenta memoria revolvere temporis angustia prohiberet, exemplorum numero penè infinitorum evidētia confirmarem. Evidētia certè, Julianum funestum illum apostamat, qui Christianorum gymnasia sustulit, (γ) artiumq; Professoribus silentium jussit, hoc non fugiebat. Nec illud Mytilenenses latebat, qui socios à té deficientes, maximodamno & infamiâ affecturi, litterarum studium apud eos sustulerunt (δ) Simile quid de Cyro, (ε) memoria mandatum invenimus. Quid multis? Regiones sub imperium Tursicum redactæ, me tacente, idipsum abunde compribant, quippe quæ, extincto disciplinarum & scientiarum lumine, densissi-

Etensissimis ignorantiae tenebris sepulta, atq; obruta tenentur. Nostrum igitur votum sit: vivant Scholæ, vivant Athenæ, artes ac scientiæ, quæ sunt radii divinæ sapientiæ, ad gloriam S. S. Triadis in sempiternum vivant: pius est qui assentitur! Improbus qui Amen non acclamat!

a. vid. Cas. l. 5. Sph. civ. c. 11. β. idem Cæsus d. l. γ. Cyrill. l. 2. contra Julian. cit. Arnif. l. 1. Pol. c. 18. de educ. δ. Elian. l. 7. var. bift. cit. eodem Arnif. d. l. ε. ap. justin. l. 1. ζ.

**IV. Proxima cura de Præceptoribus erit.** Exempla quippe Prophetarum (α) Apostolorum (β) & antiquissimorum gentilium (γ) qui aliquam sunt eruditionis gloriam assecuti, cum hujus ævi experientiæ, nullam artem absq; Præceptore addisci, sufficienter ostendunt. Hujus verò munus, ut Sisyphi Saxonè difficultius, & Herculis labore multò tædiosius est, ita in quibus consistit, brevitè exprimi haud potest; tria tamen præcipue sunt, quantum ego quidem cogitatione assequi valeo, quibus carere non debet is, qui artem quamcunq; liberalem aliis se posse tradere profiteretur. Paucis hoc loco de singulis agere lubet. 1. *Scientia*. Qui enim fiat unquam, ut, quod quis non habet, aliis largiatur? aut cæcus regat errantes? Notum est illud Christi (δ) *Si cæcus faciem ducat, ambo infideam cadent*. Ita quemadmodum usu venit, ut qui non paruit, aliquandò non bene imperet, cum modestè parendo discatur ars imperandi (ε) sic etiam docere alios nequit, qui non didicit, cum id ipsum didicisse videatur ars quædam esse docendi. Si autem quis aggreditur monstrare aliis, quod ipse non vidit, aut amentis aut temerarii nomine appellandus videtur: quidni enim amens sit, si suam inscitiam nescit aut temerarius, si novit quidem, sed majora audet viribus, & onus tollit humeris, quod perferrere non potest? At dicas: docendo discitur. Probè! Tu ergò medicus aliorum interitu evades? Stultè! 2. *Prudentia*; quæ destitutus, tanquam in illuni nocte sine lumine errans, sæpè offendit. Præceptorem igitur in tradendis artibus & disciplinis methodicum esse oportet. Quid etiam ab illo possit, ab hoc debeat exigi discipulo, quæq; studia cuivis convenient, cum magna sit ingeniorum diversitas, perspectum habebit. Prudens etiam erit, si cavebit, ne cum Ægyptiorum Regibus pyramides extruas, quæ præter

præter ostentationem nihil referunt utilitatis: ne vitrum & aranum texturas gemmis præferat: quibus præst discipulis ea propoñat, quibus olim senes in suum Patriæq; commodum uti possint. 3. *Fides*; bonus quippe Præceptor nullo non tempore suis se discipulis dabit, non sibi sed illis vivet, non suo sed illorum ingenio indulget, non suarum rerum sataget, sed illorum studiis vigilabit. Ante omnia verò pietas in ipso lucebit, illudq; sempè meditabitur, ut imitatione sui, suæ disciplinæ alumnos erudiat, quâ institutione præstantioñem esse nullam, parens eloquentiæ Rom. dixit, (ζ) id quod nec obscurè Poëta, (η) in oratione Evandri, Æneæ filium Pallanta horoicis virtutibus erudiendum, commendantis, elegantiissimis hisce & svavissimis versiculis indicat:

Hunc tibi præterea spes & solatia nostri  
Pallanta adjungam, sub te tolerare magistro  
Militiam & grave Martis opus, tua cernere fabr.  
Assuetat, primis & te miretur ab annis.

Plura de notis boni Præceptoris desiderantem, ad Platonem (θ) Quintilianum (ι) Plutarchum (κ) Junium (λ) &c. remitto.

α. vid. 2. Reg. 2. Esa. 1. v. 1. Jerem. 1. v. 2. Ezech. 1. v. 1. θ. ζ. ξ.  
β. vid. Act. 22. 3. Matth. 4:19. seqq. Marc. 1:17. seqq. Matt. 10: 1. Ε.  
γ. vid. Val. M. l. 8. c. 7. de Pythagore, Platone, Cleanthe, &c.  
δ. Luc. 6. v. 39. ε. conf. Arist. l. 7. Pol. c. 14. §. 1.1. sp. 7. fam.  
η. Virg. l. 8. Æneid. ι. in Lachete. l. l. 2. instit. c. 1. conf. c. 2.  
l. 1. instit. κ. de educ. lib. λ. q. 45. Pol.

**V. In juventutis institutione moderata castigatio adhibenda est.** Mihi ille detur puer, votum est Quintiliani (α.) quem laus exitet: quem gloria juvet: qui victus fleat: hic erit alendus ambitu: hunc mordebit objurgatio: hunc honor excitat: in hoc desidiam nunquam (inquit ille) verebor. Votum, equidem certè, cui eventus ut responderet, Præceptores, arbitror, omnes unicè exoptarent! Verum illud Platonis (β) ὁ δὲ παις, πάντων θηρίων εστὶ έντοπεῖται καιρότερον, cum maximo tædio verissimum esse sæpius experiuntur, idcirco multis quasi frænis pueros constringendos esse idem (γ) monet, id quod sacra pagina quoq; nos docet, (δ) Orbili tamén illi plagiōsi, (ε) à quorum aspectu citius ignem quæm humanitatis signum elicere possis, minime laudandi sunt. Quod enim puerorum mores reddit humiles,

illiberales, ab humanae societatis commerciis abhorrentes, atq; ad omnem consuetudinem & familiaritatem planè ineptos, illud nequam est approbandum: sed castigatio illa justo severior, puerorum mores reddit humiles, &c. E. castigatio illa justo severior nequam est approbanda. Veritas minoris prop. per se patet & testimonio Platonis ( $\zeta$ ) ad quem, brevitati studens, Benevolum Lectorem remitto, etiam stabilitur. Difficile autem regimur est, inquit Seneca ( $\gamma$ ) quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti observationes indiget. Utrumq; enim & quod extollendum, & quod deprimendum est, similibus alitur, facile autem etiam attendantem similia decipiunt. Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur. Assurgit, si laudatur, & in spem sui bonam adducitur: sed eadem ista insolentiam & iracundiam generant. Sic itaq; inter utrumq; regendus est, ut modo strenuis utamur, modò stimulis: nihil humili, nihil levile patiatur.

a. l. i. inst. c. 4. B. l. 7. de ll. Y. Plato d. l. d. 1. Sam. 3. v. 13. Prov. 1. v. 8. c. 4. v. 1. c. 13. v. 24. c. 19. v. 18. c. 22. v. 15. c. 23: 13. c. 29. v. 17. Sc. e. Hom. l. 2. ep. 1. Sveton. de illustrib. Grammaticis, c. 8.  $\zeta$ . l. 7. dell. n. l. 2. de ins. c. 21. conf. Eph. 6. v. 4. Colloff. 3. v. 21. vid. quoq; Cic. l. 1. off. Ter. Adelph. 4. 1. sc. 6. Sc. e.

**VI. Juventutis in studiis, aut parentes ipsimet, aut alii spectatæ fidei viri, inspectores erunt.** Αξιορ δ' ἐπέμψαν, inquit Plutarchus ( $\alpha$ ) των παιδέων ἐνθισταί, οὐτες παιδαγωγεῖς καὶ διδασκάλοις ἐπαργέψαντες τὰς γῆς, αὐτὸι τῶν τέτων μαθησεως ἐτούτων συντάκται γινονται τὸ παιδόπτανον ἐτούτηνοι, πλέον τῷ διοντῷ αὐτοτάναντες. αὐτὸς γὰρ παρόλιγας ἡμέρας δεῖ δοκιμασιαν λαμβάνειν τῶν παιδῶν αὐτοῦ μη τὰς ἐλπίδας ἔχειν εἰς μασθώπιν διαδέσσει. καὶ γε ἐπειδὴς πλείνα τωνησονται τὴν ἐπιμέλειαν τὴν παιδῶν μέλοντες ἐκαστεῖ διδούνται τὰς ἐνθύμας: καν γεῦσα δὴ τὸ ὄφεν τούτης ἐπιπονόμει χρέος, ὡς ἀδὲν ἐτο πάντες τοι τούτων ὡς βασιλέως ὄφεισθε. Optimè! Licet enim Praeceptores (ut commissum quoq; munus postulat) omnem suam operam, curam, indu-

industriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in discipolorum salute figant & locent, tamen hi, cum noverunt gravem sibi constitutam & paratam esse adversariam, in artibus liberalibus eò magis sibi elaborandum statuunt, ut expectationem, quam sui constitūrunt, sustinere ac tueri possint. ( $\beta$ ) Quoniam verò parentes literarum imperitos nonnusquam invenire licet, hæc cura aliis spe-  
ctatæ fideli viris jure ac meritò committitur.  
a. de educ. lib. B. conf. Cic. l. 2. ep. 1. & 4. fam.

**VII. Animī cura prior quam corporis erit.** Optima harmonia concordare hæc debent. ( $\alpha$ ) Quoniam verò corpore præstantior animus est, quippe qui illud regat, suum videbit instrumentum, idcirco de animo priorem incundam esse curam haud absurdè asseritur, idq; Plato ( $\beta$ ) his verbis docet: ἐμοὶ μέν γάρ & φάνεται, οὐν Χειρὸν γέ ταῦτα, ταῦτα τῇ ἀντῃ ἀρετῇ φυχὴν ἀγαθὴν ποιεῖν, αὐτὰ τεντριον, φυχὴν ἀγαθὴν τῇ ἀντῃ ἀρετῇ αῶμε ταρέχειν ὡς οἵοντε θέλεσον. οὐτεν, οἱ τὴν διάνοιαν ἵκανως θεραπεύσαντες ταρέχειν μέντοι τοῦ τοῦ ταρέχειν οὐτούτοις θεραπεύσαντες. Huic assertioni Aristoteles ( $\gamma$ ) obstat videtur; Verum non de infantiorum educatione, in qua corporis curam curā animi priorem esse debere facilis concedo, siquidem usum rationis & mentis in orepundiis fasciisq; vagientium querere absurdum est: sed de pub. institutione, in qua res longè aliter sese habet, me agere Benevolus Lector videt.

a. Arist. l. 7. Pol. c. 15. B. l. 3. de Rep. y. d. l. d. 7. c. 15. Spb. civ. Sc.

**VIII. Præcipuum institutionis momentum pie-  
tatem & veram religionem concernit.** Ut navis, ax-  
dium aliatumq; rerum carinas aut fundamenta prima esse volu-  
mus? cum alias nihil solidè subsit, sed in ruinam prona sint, quæ  
sine fundamentis creverunt: idem literis consecratus nobilissime  
suum studiorum aptet operæ. Eruditionis quippe omnis & sapien-  
tiae fons ac fundamentum timor Domini est ( $\alpha$ ) id quod nec veteres  
ethnici, quos Deus vera sui cognitione non afflaverat, fugiebat.  
Livius enim ( $\beta$ ) ut alios silentio jam prætereyerat, omnia prosperè  
sequen-

sequentibus Deos adversa spernentibus evenire, expressis verbis assicit. Damnum hoc haud exiguum quidem, in artibus liberalibus neglecto peritatis studio, minus felicitate progredi: verum accedit aliud longe gravius, & supra hominem possum, in quod praceptor discipulum suum conjicit periculum se. aeternae damnationis. Pietatis igitur praecpta & verae religionis fundamenta discipulis suis instillare Praceptor tenetur. Quod enim Deus severè jubet, illud (in quantum possibile) est præstandum: sed Praeceptores pietatis praecpta & verae religionis fundamenta discipulis suis ut instillent, Deus severè jubet: E. Praeceptores pietatis praecpta & verae religionis fundamenta discipulis suis instillare debent. Minor patet, quia parentibus Deus mandat, ( $\gamma$ ) ut sermones suos ipsum non solum audiant, verum etiam filios ac nepotes doceant: Praeceptores autem in locum Parentum succedere, extra Controversiam est. ( $\delta$ )  
 $\alpha.$  Prov. 1. v. 7. c. 9. v. 10. conf. Mathe. 6. v. 33. Eccl. 3. l. 5. c. 51. conf. Val. M. l. 1. c. 1.  $\gamma$ . Deut. 4. v. 9. & 10. Eccl. 8. vid. 2. Reg. 2. v. 3. & 12. 1. Cor. 4. v. 15. Gal. 4. v. 19. Quintil. l. 2. instit. c. 2. conf. Jacob. Mart. l. 1. Pol. c. 6. Eccl.

**IX. Linguarum** deinde studium haud inutiliter sequitur. Dictum est supra prudentis Praeceptoris esse, ea propone discipulis suis, quæ ipsis Patriæq; usui futura sunt, si viri evaserint: illorum autem omnium, linguarum studium, post Pietatis praecpta religionisq; fundamenta, primum & præcipuum esse, non inepte asseritur. Singulas enim disciplinas, scientias, & Facultates superiores, singulos vitæ ordines, si quis ratione animoq; lustraverit, id verissimum esse respiciet. Quod, siquidem paucis, exprimi nequeat, cum veneratione tacitus admirabor, hanc unicam rationem, linguarum utilitatis & necessitatis demonstrandæ ergo, jam apposuisse sufficere arbitratus. Homo natura est σωματολικόν ( $\alpha$ ) sive animal sociabile, ut spernentem plane omnem conversationem, aut belluam immanitatem, aut hominem religione superare oporteat. Quoniam autem non cum indigenis solum, sed sepius etiam peregrinis, nobis necessitudo est: prius horum linguam, quam conferre sermones potuerimus, addiscere necesse habemus. Sic Themistocles, si historiis ( $\beta$ ) fides non est deneganda, amicitiam Regis Artaxerxis ambiens, annum spatium sermoni Per-

ni Persarum perdiscenda dedit. Interpres, dicas, vicem meam implebit. Densa mentis caligine circumfunderis falsaque; opinione traheris. Is quippe, ut est magna multorum malitia, te facile decipiet, tuaque, ut nec desunt homines rimarum admodum pleni, secreta divulgabit. Acedit etiam hoc, quod turpe sit aliunde pendere, & extrinsecus vivendi suspensas habere rationes, ut Cicero ( $\gamma$ ) licet alia in causa, eleganter loquitur.

$\alpha.$  Ariph. l. 1. Pol. c. 2.  $\beta.$  Corne Nep. in Themist. p. l. 5. ep. 13. fam.

**X. Artibus** præterea liberalibus ceteris imbuendus discipulus est. Ab utili & necessario hoc etiam confirmatur. Hominum quippe mentes à viitorum sedibus ad virtutis honestatisque cultum facit quādam via sublevant, ut C. Valerius Flaccus. ( $\alpha$ ) Polemo ( $\beta$ ). & alti numero penè infiniti abunde testantur. Deinde, via maxime compendiosa ad honores per artes lib. est. Harum enim beneficio, homines obscuro natos loco, nobilitatos, & in famæ theatrum productos fuisse: contemptos antē & abiectos, ad summas dignitates enectos, in augusto honoris folio collocatos esse, Socrates ( $\gamma$ ) Euripides ( $\delta$ ) Demostenes ( $\epsilon$ ) & alii, multitudine innumerabiles, demonstrant. Præterea, artes lib. summam cultoribus suis benevolentiam, non apud gregarios, & è trivio homines, sed apud magnates, conciliare, historiarum monumentis clarum est,  $\beta$ . Necesitatem denique artium lib. addiscendarum tantam esse, ut non igni, non aere, ut ajunt, non aquâ pluribus locis indigeamus, luce meridianâ clarius est. Verbi quippe divini ministrium sacrum codicem absque; harum cognitione recte intelligere, intellectum alijs dextrè explicare, explicatum à varijs hæreticorum depravationibus felicitè vindicare, & solida sanæ doctrina ac Christianæ religionis fundamenta propugnare non posse, manifestum est. Porro, Cæsares, Reges, alijque; loco magistrarum constituti, qui sine legum peritia lites intricatissimas, ut cetera taceam, enodabunt? nihil plus equidem agent, quam si cœcus de varietate colorum, surdus de concentu vocum arbitrari voluerit. Reliquas instituendæ vitæ rationes & vias, animo & cogitatione si quis perpenderit, idem deprehendet.

$\alpha.$  Val. M. l. 6. c. 9.  $\beta.$  idem d. l. 1.  $\gamma.$  idem l. 3. c. 4.  $\delta.$  idem d. l. 4. idem d. l.  $\epsilon.$  vid. Sueton de T. flavio Vespasiano, Cic. pro Archi a & Val. M. l. 8. c. 14. de Themistocle. Cic. d. l. de Augusto. Eccl.

**XI. Politis quoq; mōribus studiosa juventus operam dabit.** Per quod enim ad conversationes cum alijs, aliorumq; benevolentiam conciliandam aptus quis redditur, illud nequamquam est negligendum: sed per mores, &c. E. Minorem prop. non est quod aut repetitis è veteri memoria, aut vivis & spirantibus exemplis confirmem: Trito dici solet sermone: Qui Proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit quam proficit. Hinc orbis quondam domitores suum Vespasianum delicias generis humani appellārunt. *a.* Ex moribus quoq; signa de probitate aut improbitate hominis peti solent. *b.* Mores præterea mali Reip. nocent: eam quippe disciplina majorum conservat, quā dilapsa, & nomen & imperium amittitur. *y.* Quid enim prodest foris esse strenuum, inquit Val. M. *d.* Si domi male vivitur? expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus: nisi foro & curiæ officium ac verecundia sua confiterit; partarum rerum æquatus coelo cumulus, sedem stabilem non habebit." Hac utiq; de causa optimè constitutæ Respub. semper regendis civium moribus, vitijsq; castigandis, Censores præfecerunt. *e.* Proinde successu temporis docti futuri, non minus elegantiæ morum, quam vel peritiæ linguarum, vel solidæ eruditioñis, rationem habebunt. Quinam verò mores in pueris & juvenibus adolescentib. clucere debeant, si quidem paucis exponi haud queat, Benevolum lectorem ad junium. *f.* & alios, qui hac de re memoriz literisq; prodiderunt, ablegatum volo, hoc tantum indicasse sufficere arbitrans: ineptos mores affectandos non esse, quorum sequaces novâ depositione novâq; dolabrà dignos judico.

*a. Sueton. b. Jun. q. 50. Pol. y. idem. d. l. ex Aelio Lamprido in Severo. f. l. 2. c. 9. e. vid. Liv. l. 24. c. 18. Val. M. d. l. Corn. Nep. in vita Hamile. g. q. 51. Pol.*

**XII. Animi relaxations atq; recreations studiosæ juventuti etiam concedendæ.** Rem quippe nullam, continuum laborem ferre potentem, reperi, Poëta (*a*) hoc versiculo planum facit:

*Quod caret alternâ requie, durabile non est.*

Emphaticè quoq; Plutarchus (*b*) loquitur: σπένδετες γὰς

τὸς παιδεῖας τὸν πάχα πρωτεῖον, τὸν δὲ αὐτοῖς ὑπερ μέτρος ἐπιβάλλεται, διεπανδῶτες εἰμι πάτερ, νὴ γάλας βαρύνομενοι τοῖς κακοπαθεῖσις ἐχεντα τὴν μάζην εὐνέας, ωπερε γαὶ τῷ Φύτοντος μὲν μετρίους οὐδὲ στρεψηπει, τοῖς δὲ πλοῖσι πνευματος τὸν αὐτοντόποτεν ψυχὴ τοῖς μὲν οὐκ μέτροις αὐξεντα πνοισι· τοῖς δὲ ὑπερβάλλεται βαπτίζεται. Non a. ideo solum remissio a studiorum laboribus discipulis danda est, quod nulla res continuum perfere laborem possit; sed etiam quia studium discendi voluntate constat, qua cogi non potest. Itaq; & virium plus adferunt ad discendum renovati ac recentes, & acriorem animum, qui ferè necessitatib. repugnat, (*c.*) unde Plutarchus (*d.*) bene dixit: η ἀράστατος τῶν πόνων ἀγρυπνὰ ἔστι· quod ipsum non in rebus animatis solum, sed sensu etiam & ratione carentibus, esse verum experimur, Deinde, ludos, atq; exercitationes corporis, cum defatigatione & tædio noui conjunctas, multū corporibus prodest, & cum cibum & potum certā quādam imperij formulā moderantur, pulchritudinem, sanitatem, vires, & alias corporis opportunitates posse nobis suppeditare, Plato (*e.*) testatur; id quod nec Ciceronem, Tironi suo, minus commodā valetudine prædicto, πειτατον σύμμετρον, commendantem, (*f.*) fugit. Præterea, institutio juventutis talis esse debet, ut non animo & consilio tantum, sed etiam corpore & lacerto, cum res ira tulerit, opem Reipub. ferat, (*g.*) quod, hisce exercitationibus neglectis, præstari haud poterit, siquidem segnities corporis, audacia hostis, interitus civitatis inducitur (*h.*) Propter contrarios igitur effectus utiles & fructuosæ haberi debent. Hic tamen præceptum Tullij (*i.*) prætereundum non videtur: Ludis utilicere, sicut somno & quietib coeteris, tūm sc cùm gravibus, s. rījsq; rebus satisfactum fuerit. Ludendi quendam modum esse retinendum idem (*k.*) quoq; monet, ut ne nimis omnia quis profundat, elatusq; voluptate in aliquam turpitudinem delabatur. De recreacionibus & exercitationibus juventuti concedendis, Junium (*l.*) &c., cui placet, consulat.

*a. Ovid. ep. 4. conf. Quintil. l. 1. infit. c. 4. b. de educ. lib. y. Quintil. d. l. j. d. l. e. l. 7. de ll. in principio. conf. Cas. l. 8. spb. Civ. c. 4. f. l. 16. ep. 18. fam. y. Cas. l. 8. spb. civ. c. 4. g. idem d. l. 1. . . 1. off. u. d. l. h. q. 54. 55. Pol.*

**XIII. Liberalibus artibus utendum ut medijs,**

non

**non fruendum ut summis bonis.** Hoc ipsum Philo-  
plus ( $\alpha$ ) haud obscure indicat. Sunt quædam, inquit, ex libe-  
ralibus scientijs, quas usq; ad aliquid discere, honestum sit. peni-  
tus verò sese illis tradere, ac ad extremum usq; prosequi velle, no-  
cumentis illis, quæ suprà diximus (sc. per quæ inutilis quis ad usum  
& opera virtutis redditur) obnoxios facit. Quibus verbis in artes  
non declamat, sed excessum in earum studio, & usum minus ac-  
commodatum damnat, idq; jure optimo. Sunt enim illæ veluti semi-  
tae & media ad ulteriore finem; in medjis autem semper qui ha-  
rent, ipsum optatum finem non acquirent. Studio earum artium,  
inquit sapiens ille Romanus ( $\beta$ ) quæ in veri investigatione ver-  
santur, à rebus agendis abduci contra officium est. Non nobis  
solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem paren-  
tes vindicant, partem amici. Unde Besoldus  $\gamma$ . hoc dubium mo-  
vet: si Rerūmpub. moderatores avidè literas excitent, nunquid Rei-  
pub. suæ consulant? ad quod responsurus, inter studia distinguit,  
verūstiorē sc. Græcorum Romanorumq; sapientiam, quæ peritia  
erat in Rep. versandi & ad actiones accommodata prudentia, ne  
quidem à lividā vituperari invidia posse affirmans; studia verò in  
sola rerum cognitione posita, plures sapius, quām utile fuit Rebus-  
pub. delectasse afferens. Namq; ut gratiosa res est Physica, in-  
quit, Mathesis, &c, si quis ea attingat in juventute; ita, qui o-  
mnem ijs in literis ætatem exegerunt, ad Rempub. ullo modo iuvan-  
dā, censemur inepiores. Quod quidem non ita accipendum  
est, ac si in scholis & Academijs, docendo Juventutem artes libe-  
rales, consenserentes, dannandi sint, quippe hi ab augendis homi-  
num utilitatibus, & commodis, non recedunt, sed erudiunt multos,  
ut meliores utilioresq; rives evadant [ $\delta$ ] quo munere haud majus  
meliusve Reipub. afferri poterit. [.] Eodem igitur sensu verba Be-  
soldi, quo suprà Aristotelis intelligenda sunt. Pluribus in re ma-  
nifestissima urgere desino.

$\alpha$ . Arist. l. 8. c. 2. Pol.  $\beta$ . Cic. l. 1. off.  $\gamma$ . Dissertat.  
Pol. de educ. c. 5.  $\delta$ . Cic. d. l. e. idem l. 3. de Divinat.

**XIV. Certum vitæ genus iuvenes adolescentes**  
eligant. Deus enim certos vitæ ordines instituit: ad aliquem  
horum adiungere animum tenemur, si alias Rempub. salvam yo-  
lueri-

voluerimus. Verū hanc deliberationem omnium difficultam esse  
Tullius ( $\alpha$ ) testatur, proinde (nobis idem auctor est) non alienum  
erit, ad ea eligenda, quæ dubitationem adferunt, adhibere doctos  
homines, vel etjam usu peritos, & quid his de unoquoq; genere of-  
ficii placeat, exquirere. Quamvis autem unum officium dignitate  
vel utilitate alterum antecedat, tamen nos studia nostra naturæ  
regulâ metiamur, nihil sequentes, nisi quod assequi quodammodo  
valeamus, juxta illud Poëtae ( $\beta$ )

*Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ.*

Hoc est, interprete Cicerone ( $\gamma$ ) adversante & repugnante naturâ.  
Hic etiam, tanquam in transcursu, observari possit: discipulum  
ideò à studiis non esse removendum, licet indolem illicè non pro-  
dat. Quanqnam enim multi mature urunt, ut dicitur, tamen haud  
paucos hebetis ingenii ad solidam pervenisse eruditioem accepi-  
mus, ( $\delta$ ) Si verò crassiori apparuerit minervâ, ad alias Reip. ne-  
cessarias artes animuui applicet, ne ipse operam perdat, & Resp. interim ( $\epsilon$ ) aliis studiis careat.

$\alpha$ . l. 1. off.  $\beta$ . Hom. de arte Poët.  $\gamma$ . l. 1. off.  $\delta$ . vid. Quint.  
l. 1. instit. c. 4. Jun. q. 41. Pol. Sc. 8. conf. Arnis. l. 1. Pol. c. 18. de educ.

**XV. Peregrinationes, rectè institutæ, cum aliis,**  
tùm maximè studiosis, perutiles sunt. Hic frequen-  
tes in diversa eunt, cum tamen peregrinationes in iis, qui corpo-  
ris & animi ratione capaces earum inveniuntur, minimè impro-  
bandæ sunt modò rectè instituantur, id quod ut fiat, conditions  
sequentes, à Junio ( $\alpha$ ) præscriptæ, observentur: 1. Immortalem  
ex intimis cordis visceribus Deum venerentur, honestas & felices,  
tùm agendi tūm pariendi occasiones ut largiatur: 2. Finis, cur Pe-  
regrinationes suscipienda, spectetur. 3. Iter-ingressuri, ætate integri,  
ingenioq; maturi, sint, quò inter bonum & malum, honestum  
& turpe accuratius distinguant. 4. Lectio historiarum, præsertim  
regionum illarum, quas lustrare quis cupit, minimè negligatur:  
tabulæ quoq; Geographicæ adhibeantur: summantur in manus iti-  
neraria. 5. Sibi de necessariis in toto itineris circuitu prospiciant.  
6. Danda opera, ut ne corpore peregrinentur solùm, verū etiam  
animo observatu digna obseruent. 7. Peregrinationibus peractis,  
**C** domum

domum reversi, mores patrios retineant: lingua vernacula cum  
licuerit, præsertim in colloquiis familiaribus & privatis, utantur:  
ostentationem & jactantiam in visorum & auditorum expositione  
vitent, &c. quæ leges si sedulò ac seriò observentur, quin peregrina-  
tiones, magnam Juvenibus Adolescentibus, & ipsi Reipub. adfer-  
rant utilitatem, non est dubitandum, idq; sequenti probatur ar-  
gumento: Quodcunq; ad Juvenes artibus & scientiis excolendos,  
moribus imbuendos, Prudentiæ non domesticâ solùm, sed civili-  
etjam nec non militari, instruendos, cives deniq; copiâ rerum ex-  
ternarum abundantes reddendos, plurimum confert, illud est per-  
utile: sed Peregrinatio hoc præstat, E. Minoris propositionis veri-  
tatem, quoad singula membra, gravissimarum rationum pondere  
& fundamentorum evidentiâ, manifestiorem reddere conabor.  
*Ad primum* quod attinet, Peregrinationes ad attes scientiasq; com-  
parandas plurimum facere, haud admirabitur, sibi in memoriam  
qui revocat, vix in toto terrarum orbe tam felicem regionem esse  
ullam, quæ felicissima omnia ingenia includat: quin sparsa illa es-  
se, & suam cuiq; terræ, magno illo rerum omnium conditore ita  
dispensante, velut gemmulam assignatam, quæ eam illustret, (3)  
Hlorum igitur, quibus solum nostrum natale destituitur, bonorum  
participes futuri, ad loca illa, in quibus virorum insigniter eru-  
ditorum copia est, transibimus, aut illi ad nos nostrosq; commi-  
grabunt. Silentio jam involvo, quasdam disciplinarum nec pri-  
mum constitui, nec post excoli, nec demùm percipi facile posse,  
absq; Peregrinationis auxilio. Objiciat quis: sedendo non discur-  
rendo sapientiorem quem fieri: & si omnino apud exterorū quidam  
ingenii acumine excellentiores repellantur: eorum tamen plerumq;  
scripta ad manus nostras pervenire posse, ex quibus, cognitu quid-  
quid necessarium fuerit, domi quieti sine aëris injuriâ, sine maris  
periculo, sine metu latronum brevi tempore haurire queamus.  
Honesta otatio. Sedendo non discurrendo solidam parati eruditio-  
nem haud invitus concedo, quia peregrinantem non sempè vagan-  
tem singo: intervalla sunt quiescendi, cum ad illa loca, in quibus  
rem querit, pervenerit. Neq; de monumentis doctorum virorum  
quod adferunt, assertionem meam infringit, quandoquidem ma-  
gnos viros non audiendos solùm, sed scripta etjam eorum cum  
medi-

meditatione legenda esse monēs: atrumq; à veræ atq; solidæ eru-  
ditionis cupidis requiritur. Deinde, elegantiam morum hinc ac-  
quitri, nemo, nisi magnâ erroris caligine occæcatus inficias ibit.  
Nam licet inter peregrinos, sicut nec in patria, incorrupti mores  
ubiq; obvii non sint, tamen apud eos quin elegantia quædam mo-  
rum & comitas reperiatur, jure non negatur, cujus aspectu ani-  
mus, nescio quo pacto, attollitur quasi, & sese fit grandior, adeò  
ut tacitâ quadam viâ sese moribus politiores factos esse potius quam  
fieri postea deprehendant. At occinat quis:

*Cælum non animum mutant qui transmare currunt.*

*Strenua (inquit ille) nos exercet inertia: navibus atque  
Quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hic est. (Y)*

Salva res est. *avtostisia* quippe contextus, Poëtam non de pru-  
denti peregrinatione, sed de erronum vanitate loqui, demonstrat,  
quibus amara patria, dulcis peregrinatio, vel potius erratio, atq;  
in exoticis regionibus vitam degere in deliciis est, unde Bullatius  
citato loco ne ad vitæ beatitudinem aliquid interesse putet, quo  
quisq; loco habitet, hisce verbis admonetur:

*Tu, quamcunq; Deus tibi fortunaverit horam  
Graia sume manu: nec dulcia differ in annum,  
Ut quocunq; loco fueris vixisse libenter  
Te dicas. Sc.*

Tandem in hæc erumpit verba: *quod petis, hic est*, i.e. benè bea-  
teq; vivere, domi est & in patria. *Præterea*, Prudentiæ quantæ  
ex peregrinationibus accessiones fiunt, verbis haud facile exprimi  
poterit. Ad *Domesticam* enim comparandam, eas ponderis mo-  
mentiq; plurimum adferre, liquido constat, nam alia gens, alii  
majori soletia & acumine ingenii præpollet, undè peregrinant  
varios modos elegantiiori formâ domos extruendi, accuratores co-  
lendi agros horrosq; rationes, privatæ in victu & amictu frugalita-  
tis & parsimoniae semina, aliaq; numero penè innumera rei fami-  
liaris compendia & adjumenta reportare licebit. *Civilem* quoq;  
variorum institutorum, rituum morumq; apud diversas gentes di-  
ligenzi observatione formari, ali, servariq; res ipsa docet. Quan-  
tos enim fructus peregrinationes Philosophorum & sapientum ho-  
minum antiquis Rebuspub. attulerint, annalium monumenta a-

Mindē testantur, quod Plato probē novit, cives suos hortatus (8) ut Peregrinationes susciperent, vestigiaq; virorum, incorruptæ fidei notarie celebratorum, terrā mariq; perquirerent, quod ex horum sermonibus & moribus eruditiores & meliores facti domum reverterentur, legesq; patrias, si quid in eis desideraretur, emendantur. Hoc non damnavit Moses, quo legislatore licet vix ullus sapiens, nihilominus is commodiorem administrandæ Reipub. judiciorumq; obeundorum rationem à Jethrone socero suo, homine peregrino, non audivit solum, sed cum fructu etiam accepit & probavit. (9) Quid multis? In hunc finem juvenes hodiè terras gentesq; obeunt. Ad militarena porr̄d Prudentiam acquirendam Peregrinationes plurimū conferre, multis rationibus ut probem, non est necesse, arbitror. Quid utilitatis in bello secum habeat, nauram, mores, & instituta hostis, cognita habere, nullus non cogitatione assequi poterit. Conditiones quoq; locorum in expeditionibus, sermonem hostium, viarum compendia scire, quantum ad copias tutius ducendas, quantum ad insidias struendas, strategemata molienda faciat, ecquis non videt? Illa nosse, s̄p̄ius victoriā, ignorasse, cladem attulisse, perennitati seculorum omnium consecrata annalium monumenta iatis evincunt. Postrema ratio, à mercatorum portu Peregrinationis laudem in forum civitatis vexit: nam ubi mercatores si non sit peregrinatio? Ubi rerum necessariarum commutatio, si non sit hinc inde mercatorum libera & justa navigatio? ubi deniq; splendor, ubi celstudo, ubi lumen civitatis, si cesset cum exteris gentibus negotiatio? aut cur fuerit inventa navis, si nulla navigatio, si peregrinatio nulla approbetur? Ad nostrum te litteris transire necesse est, quisquis fueris Peregrinationis osor.

a. q. 44. Pol. B. Lips. Cent. 1. Miscell. ep. 22. Georg. Loys. de Reregr. obs. 1. § 2. γ. Homat. I. 1. ep. II. δ. I. 12. de. II. ε. Exod. 18. v. 17. § seqq. &c.

Hic subsistere temporis ratio jubet: quæ per summam festinationem omissa sunt, Lector Benevole,  
Benevolia interpretatione suppleas rogo,  
dicasq; meum.

Soli Deo Gloriam.